

Caietano Soltyk Gratulatio (1759)

2

CELSISSIMO ET REVERENDISSIMO
P R I N C I P I
C A I E T A N O
S O Ł T Y K
E P I S C O P O
C R A C O V I E N S I
D U C I S E V E R I A E

Felicis ad Cathedram Cracoviensem
Anno Domini M.DCC LIX. Die Maji
ingressus

GRATULATIO

*A Scholis Pii Cracoviensibus tota-
que ejusdem Congregationis Provin-
cia Polona.*

Typis Varfaviensibus S. R. M. & Reipublicae in
Collegio *Scholarum Piarum.*

Pol.

CLASSIMO STRETTENDISSIMO

PLIN CIP I

CALE TANO

201 T-Y K

BRISCOPO

CRATE BESI


CEV ERM AE

CHORONIA
MILIKIA

CAVATIO

A Scola in Cinesia
e in Cinesia

1875
Cinesia



XVIII. 2.925





ORATIO.



Si in hac communi, de Tuo, Princeps
Celsissime, ad Sanctae Cracoviensium
Ecclesiae Pontificatum ascensu, omni-
um ordinum laetitia, nostra etiam haec
gratulatio, non nihil ad splendorem diei hujus ad-
ferre posset; equidem pro singulari nostro de Te
bene merendi studio, id nobis optatissimum ac
honorificentissimum eveniret. Tametsi vero
ornandis Tuis rebus imparia omnino sint
nostra officia, ut pote qui omni laudationis gene-
re superiora & agis, & consecutus es, id saltem
ut efficiant, certe nobis enitendum est; quo vide-
licet pateat Tibi, & omnibus, summa erga te vo-
luntas nostra, quo amor, & observantia in Te no-
stra, cuius palam fiant, quo gaudia nostra de col-
lato Tibi tam sublimi in Hierarchia Ecclesiastica
honore neminem prorsus lateant. Etsi enim no-
bis privatim non adessent, quibus ad maxime Ti-
bi nobisque

A

bi nobisque gratulandum incitaremur argumenta, (habemus vero & plurima & maxima,) publica certe, & Ecclesiae, & Reipublicae causa, ad celebrandam utriusque in hoc Tuo ascensu fortunam, satis superque nos permoverent. Quis enim civium est, qui Tuo hoc bono, non ut bono Patriae, reique Christianae, imo etiam non ut suo proprio quisque bono laetetur? Quippe admirabili vitae tuae ratione, id profecto effectum est, quod est summorum virorum proprium, ut & omnes qui Te conspiciunt, vi quadam ad amorem Tui mirifice pertrahas, & ii etiam qui te non noverint ob incredibilem famam meritorum Tuorum praeclarissima de Te ferant iudicia. Quidni nos id nobis prae aliis impensius faciendum putemus, quibus & Te cum publice tum privatim cognoscere, & Tuis beneficiis, benevolentia, comitate, facilitate, patrocinio mirum in modum frui semper licuerit. Itaque & Principi nostro, & Reipublicae, & Sacerdotio, praesertim vero amplissimae Cracoviensi Ecclesiae, verbo, omnibus, nobisque ipsis, Te inprimis, ut Tulliana de M. Catone laude utar. *Virum sanctissimum, prudentissimum, fortissimum, amicissimum reipublicae, virtute, consilio ratione vitae mirabili ad laudem, & prope singulari (a) ornatissimum*, nunc vero ad tam sublime Ecclesiasticae dignitatis culmen merito evectum, maxima qua par est animorum jucunditate gratulamur. Ut proinde Tui ipsius gratia peraccommode usurpandum mihi de nostra illud sit, quod de Romana Republica dictum olim erat; *Cum multa divini-*

(a) Cicero pro Domo sua.

*divinitus, Pontifices, a majoribus nostris inventa
atque instituta sunt, tum nihil praeclarior, quam quod
vos eosdem & religionibus Deorum Immortalium,
& summae reipublicae praesse voluerunt, ut amplif-
simi & clarissimi cives, rempublicam bene geren-
do religiones sapienter interpretando rempublicam
conservarent. (b)*

Jam cum Te eo dignitatis in hac media flo-
rentissimaque aetate tam prospere tam celeriter, per-
venisse saepe cogitemus, saepe miremur, saepe nos-
met inter id ipsum non sine quadam voluptate
dicere consueverimus; ego mecum quoties de Te co-
gito, ita reputare soleo: varios variis in ade-
undis honoribus niti itineribus, quorum alios con-
sequi quod expetebant; alios vero aut retarda-
tos ipso in cursu, aut plane non assecutos vide-
mus. Discrimen profecto hos inter, & illos,
utique esse istud necesse est: illos nimirum non
hos, verum iter honoris tenuisse, illamque dextre
arripuisse *viam quae* (ut inquit Cicero) *facillime*
viros bonos ad honorem dignitatemque perducatur. (c)
Haec meditati, compendium laudum Tuarum, ille
mihi fecisse videtur, qui nuperrime Te Princeps
nomine sui Cracoviensis Capituli, non minus ve-
re quam eleganter sic allocutus est: „ ita sapi-
„ enter totius vitae cursum instituisti, ut recte fa-
„ cta Tua ad maximas in Republica Christiana
„ res agendas, ad summa quaevis Ecclesiae & Pa-
„ triae, Te natum esse probarent. „ (d) Sine quae-
so, idem nos de Te usurpare, idemque cum summis
quibusque viris, laudum Tuarum habere argu-
mentum: idem me tota oratione pertractare: Te

A 2

videlicet

(b) Cic: ad Pontif: (c) Cic: 1. Contr. Rull (d) Comes Zeluski
Episcopus Dresd: Suffr: Plocen:

videlicet, Princeps Celsissime, verum iter perveniendi ad summa tenuisse.

Qua una quidem inre, sed eadem honorificentissima & laudum Tuarum summam consistere, & gratulationis nostrae testificationem versari peroptune posse, mihi visum est. Summam dixi, illam enim vero duntaxat aggredimur universas laudes tuas celebrare nos posse nec confidimus nec sumimus. Porro ne in uberrima rerum dicendarum copia, incerti, dubiique erremus, neve oratio nostra in illa sine lege vagari videatur; illud nobis in praeclaro isthoc Tuo curriculo, expendendum duximus, quod in omni itinere feliciter conficiendo, observari solet, initium videlicet, medium, & finem. Ut omnibus palam fiat: Te verum iter perveniendi ad summa iniisse, verum semper tenuisse, veroque tandem pervenisse.

Argumentum equidem praeclarum & grave tum copiosissimum nacti sumus, utinam vero etiam, orationem eidem pertractando aequalem, adferre possimus. Certe ne fatiscat illa, vel in ipso hujus itineris, quod Te ineuntem, quo Te progredientem sequemur, exordio, omni virium contentione entendum nobis est: res enim se se offerunt, cum multae, tum insignes. Ita siquidem veram istam honoris semitam orsus es, ut statim ea omnia quae hominem ad omnia summa aptum reddunt, vel ab ineunte aetate, cum a natura, tum a fortuna, non solum nactus esse viderere, verum etiam ad ea omnia incubuisse quae Te ad adipiscendam maturius, quam jam assecutus es, metam, juvare, perficere, ornare, commendareque potuissent.

Principe

Principe enim Softykorum gente oriundus,
 quae videlicet propriis Tuis decoribus illud addi-
 dit, ut magis in Te suspicerentur, atque eviden-
 tius paterent, praeclarae dotes Tuae. Ad cuius
 profecto gentis amplitudinem commendandam,
 prae oratorum laudibus, purum putumque histo-
 ricorum (e) testimonium & fides, an non magis
 facere videntur? qui praeclaram Familiae hujus se-
 rriem, longa Senatorum, Episcoporum, Magi-
 stratum, Officiorum Regni, Virorum sago, & to-
 ga, virtute, eximiisque dotibus, non minus quam
 generis nobilitate praestantium, enumeratione per-
 texunt. Quae quidem mihi nihil opus est huc ad-
 ducere, vel ad nobilissimae profapiae splendorem
 augendum, vel ad Teipsum ornandum: cum Ti-
 bi a Teipso satis sit decoris. Neque vero etiam
 clarissimi Senatoris Parentis Tui Castellani Lubli-
 nensis, Matrisque e Drzevicciis Palatini Lublinsen-
 sis filiae, praestantissimae foeminae, aut genus, aut
 dotes, aut virtutes, & merita prosequar, cum ne
 horum, nedum laudibus, sed & reminiscencia ipsa
 nimis longe provehar, tum, ne rem in recenti
 omnium memoria positam persequi videar, com-
 mendationemque Tui a Tuis magis mutuari, quam
 a Te ipso repetere. Jisdem etiam de causis silenti-
 o praeteribo Patrum Tuum Castellanum Sando-
 miriensem, Virum probitate, sapientia, & au-
 thoritate

(e) Softykorum Domus in Russico Imperio, atque Throno inclaru-
 it. Quippe Anna Russiae Imperatrix, Patre Joanne Alexiowicz
 Imperatore Russorum, & Anna Softykowna Filia Michaelis nata,
 quaeque prius elocata fuit Vilhelmo Kettlerp, Curoniae & Semigaliae
 Ducis Primas vero Regni Theodorus Potocki Matre Softy-
 kowna natus. Niesiecki de Stemmatis.

toritate, in Republica clarum, in primisque popularum. Itaque ad propria Tua ornamenta festinando, vel invitus, praetermitto magna cum laude viventes, Fratres Patrualesque Tuos, Varfaviensem Castellanum, Succamerarium Lublinsensem, Praefectum Zwinogradensem Succamerarium & Ensisferum Sandomirienses, Cracoviensem Canonicum, aliosque bene multos, cum genere, tum alia quavis necessitudine Tecum junctos. qui virorum fortium, atque optimorum civium in Republica & nomine ornantur, & funguntur officio. Illudque unum perlibenter repeto, Te cum primis a Familia Tua & ingens ad aggrediendam virtutis laudisque viam incitamentum, & in eaggloriose tenenda, domesticorum exemplorum lucem ac copiam, & per eam perveniendi ad summa, vires & adjumenta sumpsisse, & maximum illi ex Te adtulisse decus. Quorum unum uti commune Tibi cum Gentilibus Tuis est, ita alterum, quod sequitur, Tibi soli proprium.

Indoles nempe haec Tua, quae vel in immaturo aevo, satis superque portendere visa est id, quod modo omnes & admirantur, & fatentur, ostendebat Te esse excelliori quadam, nec non summis concipiendis & exequendis rebus, pari mente, semper Tui similem id est magnum, splendidum, superiorem. Nihil jam mirum profecto est, si acer iste, excelsus, & paratus animus Tuus, sub auspiciis amplissimi illius, celeberrimique Viri Theodori Potocki Primatis Regni omnis eruditionis tanta incrementa fecerit. In cujus partem gloriae, etiam nos (quae Tua humanitas est) saepe saepius honorifice adsciscere non dubitas.

Quod

Quod dum Tu ipse summa cum benevolentia memoras, non est cur de hoc honore nostro, cum laude taceamus. Dumque Tu ipse nostris Loviciensibus scholis gloriæ hujus fructum aliquem impertiri non dubitas, qui excellentissimæ menti Tuæ atque indoli debetur; atque dum id, quod ex Tua solertia, & genio effloruerat, nostris curis eductum, & artibus excultum prædicas, huic Tuo tam illustri de nobis testimonio, prae reverentia tantæ auctoritati debita, fortasse non repugnabimus. Nihil inquam mirum, si a natura optime comparatus, egregiisque artibus, & liberalibus disciplinis instructus, postquam ad exterarum gentium non solum mores, & urbes visendas, verum etiam inde locupletem omnis doctrinæ penum, rerum pulcherrimarum notitiam conquirendam, profectus es, si & gentibus illis voluptati, & admirationi fueris, & rediens nationi Tuæ decus quoddam singulare affulseris, si ex Societatis JESU seminario Romano severioribus disciplinis apprime instructus, pedem retraxeris; si ex Italica peregrinatione, quidquid illa regio sancti, & solidi habet; si ex Gallica, quidquid hæc affabilis, civilis, & splendidi; si ex omnibus in quas Te contulisti regionibus, quidquid illæ laudis plenum possident, in Poloniam Tuam adtuleris. Nihil mirum si rerum Divinarum, humanarumque scientia aprime imbutus, nationum indolis, originis, fortunæ, incrementorum, vicissitudinum notitia præditus; si administrandarum rerum publicarum rationibus, religionum, dominationis, & potentiae firmandæ arcanis, dominandique, atque terra & mari, cum conservan-

B

darum

darum, tum augendarum virium, commerciorum, aerarii administrandi, magistratuum munitiorumque gerendorum, artibus instructus, potentiae, foederum, sociorum, hostium, uniuscujusque gentis gnarus, de his omnibus & perquam accurate, verba facias, & idem sapientissime decernas. Quantum ergo jam vel in juvenili aetate, in hac quam mox inde caepisti, vera honoris via, profeceris, quivis omnino, qui vel primos vitae Tuae annos, memoria repetierit, facile judicabit.

Certe in Patriam redux, Principibus in Republica summisque Viris probatus, in eorum consuetudinem adscitus es. Te enim in primis nunquam sine laude memorandus, Regni Primas, Gnesnensis Archi-Episcopus, Theodorus Potocki, non modo ob necessitudinem sanguinis, quae illi Tecum intererat, verum etiam ob praeclaras dotes Tuas, in familiaribus suis habere voluit. Te negotiorum suorum adiutorem esse, Tua opera in rebus difficillimis, pro temporum illorum ratione uti, Tibi ardua quaeque committere non dubitavit. Hoc Tu duce summo usus es, in incepto ad summas quasvis dignitates itinere, a quo tanti exempli, & sapientiae luce conductus, aberrare amplius haud potueris.

At enim vero alteri sapientissimo, prudentissimoque ductori, quasi de manu in manum traditus, qua felicitate, sed qua simul docilitate, quam facta ad dirigentis nutum indole, quam apto ad omnem virtutem pectore, & ingenio, rectum, laudabilem, & ad summa ducentem profecutus es tramitem! Te enim ille immortalis memoria dignus, Joannes Lipski S.R.E. Cardinalis & Cracoviensis Antistes.

tistes in intimorum suorum societatem adlegit, cui Te non minus utilem & carum, summa illa Tua in rebus agendis, qua polles, dexterit te reddidisti. Qui jam tum in Te non vulgare aliquid, sed eximium excelsumque suspiciens, Te unum qui illi olim succederes, non solum dignissimum judicavit, verum etiam optavit, imo vero etiam id aliquando futurum augurari, mente quocummodo futuri praesaga, non dubitavit. Talium virorum consuetudo, & perhonorifica de Te judicia, uti Tibi non summo ornamento esse non potuerunt, ita exempla eorundem, talem Te effixerunt: ut & vitae ratione, & animi magnitudine, & summa apud omnes auctoritate, secundus sis nemini. Didicisti a Pontificibus sacerrimis, integerrimisque Antistitibus, Religionem Dei Opt: Max: Sacra caerimoniasque rite tractare; a Senatoribus amplissimis, Rempublicam bene gerere; a clarissimis Civibus, quemodo vere popularis & habereris & esses. Felicem Te sane, qui tales viros germanos virtutis aestimatores, nactus es, praeclarissimarum dotum Tuarum adjutores, & fautores. Felices & illos, qui Te laudum suarum imitatore habuere. At maximus certe pro temporum illorum memoria, illiusque aetatis Tuae commendatione, laudibus Tuis accessit cumulus, ex Regis Stanislai, Lotharingiae Ducis, summa in Te benevolentia, qua Te ob eximias doctes Tuas singulariter sibi prosequendum judicavit. Certe Regibus, & Principibus placuisse viris, & perhonorificum Tibi fuit, & maxime justaeque apud omnes existimationi esse debuit.

Expectationi profecto & summae de Te spei conceptae omnium, mirum quantum respondisti. Nihil enim vero fuit, quod sibi de Te summi viri & Potoccius & Lipscius non pollicerentur. Audistis, (vos testor) audistis, & meministis clarissimi cathedrarum Gnesnensis, & Cracoviensis, Canonici, audistis plerique & tunc & nunc Episcopi, Senatores, illustresque Cives, utriusque tam Primatis, quam Cardinalis, singularia quaedam de Cajetano S O L T Y K, fere divinitus saepe prolata iudicia, illum ad magna natum esse, illum primis aptum muneribus, illum summos honores olim pro dignitate gesturum, illum & Ecclesiae, & Reipublicae fore utilem: haec de Te eorum, haec maximi illius in Rep: viri, Joannis Tarso Palatini Sandomiriae, praecipui constantisque semper Tui aestimatoris ac laudatoris, haec Comitum Wielopolsciorum, quorum hominum? qua cum praestantissima apud cunctos laude viventium? Tibique semper amicissimorum, haec cunctorum illo jam tempore fuit opinio, ut jam tum praeclara laudum Tuarum, & praesentis existimationis omnium, fundamenta jecisse viderere. Summis enim & probis iisdem viris probari, maximum virtutis testimonium est, eaque demum laus vera, solidaque haberi solet, quae a laudatissimis hominibus proficiscitur. Quem vero magni homines constanter probent, & commendent, gravissimum eidem imponunt officium, ne in mediocri consistat, ne haereat, sed ut ad optima quaevis & altissima eniti studeat. Potuitne itaque quis felicius, aut melius, honoris iter ingredi, quam tu illud, horum

horum duorum Ecclesiae, & Reipublicae luminum, ductu, & auspiciis, ingressus es? Et haec sunt fortunatissima, his viae vitaeque Tuae magistris, facti a Te mirifici progressus, initia.

Jam ut illud etiam palam sit omnibus, quomodo videlicet in decursu huius itineris semper idem fueris, idest summis rebus dignum Te exhibueris, ad hoc jam ut oratio mea convertatur, necesse est, Te nedum laudabiliter incepisse, sed etiam verum iter honoris semper tenuisse. Qua in re etiam si me laudum Tuarum major pars sit praeteritura, si me plura fugiant, si non paribus celebrare praeconiis, parces quidem exiguis ingenii, & eloquentiae meae viribus voluntatem certe optimam, aequi bonique consules, tum vero illud etiam recordabere, magnitudinem rerum Tuarum in causa esse, ut eas pro dignitate tractare, mearum virium tenuitatem longe superet. Illud enim vero in praesentiarum oratione persequendum est: quemadmodum verum istud honoris tenendo iter, ea omnia, quae hominis ad summa nati sunt propria, egisse & confecisse visus es.

Atque hic sane Oratori, rerum a Te praeclarissime gestarum, qua late patet, ingredienti campum, optandum merito esset, eundem, non auditorem solum laudum Tuarum, sed etiam spectatorem esse potuisse, quippe:

*Segnius irritant animos, demissa per aures,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus,*
& cum mirum quantum summorum virorum vel narratis, quae recte ab ijs gesta sunt, affici solemus; certe si oculis etiam illa obversari contin

tingat, tum enim vero oratorem oestro quasi quodam percitum convenientiora, & magis propria de illis dicere oportet, id quod etiam hac de causa desiderandum est, ne non modo insignium quorumvis facinorum, verum etiam (si ita loqui fas est) rerum minimarum, in summis viris notitia frustremur. Quidquid enim ab ornatissimis hominibus proficiscitur, sive illud dictum sive factum sit, omnes nosse percipiunt, perquam gratum id cunctis est, & mira quadam nos afficit voluptate, atque hujus vel testem esse, in laude poni solet. Tuarum vero Princeps Cellissime rerum (qui multa praecclare cum dicis, tum facis, quique pulcherrima vitae Tuae ratione omnium in te animos atque oculos convertiti) cognoscendarum curiosi tatem, tanto etiam majorem & laudabiliorem esse necesse est. Quare persequamur quod semel iter caepimus, videamusque, quibus de Ecclesia, de Rege, de Republica universa optime sis meritis, videamus Antistitem, Senatorem, Civem Patriae, longe praestantissimum.

At statim ne, ut nonnullis, tantum quia felicibus, evenire solet, quasi fortunae humeris & alis, ad altissima quaeque sublatus proventusque Praesul noster apparuit? Felicitatem illi divinitus adjunctam, fortunatum illum esse, ego quidem non negavero, at enim & laboriosissimo simul eum fuisse progressum tramite, & multis quasi gradibus, multo cum anhelitu, ad primam quoque Senatoriam curulim eum esse enisum universi spectastis. Per diversas Ecclesiae dignitates, eo gradatim, conscendit. Lencicensis in primis Scholasticus, tum Gnesnensis,
tum

tum Cracoviensis Canonicus, deinde omnium in Polonia Praelatorum primus, Praepositus Sanctae Gnesnensis Ecclesiae creatus, ad Tribunal Regni Judex deputatus, & Vice-Praesidens, augusti illius Areopagi praecipuum ornamentum, fulcrumque factus, paulatim & meritis & honoribus ita crevit, ut ad sacrum Coadjutoris Praesulis Kioviensis munus vocatus, atque a sanctissimo illo omnibusque nominibus venerabili Antistite Ozga magnopere expetitus, perveniret.

Jam a magno illo Cardinali Lipsicio praematura ac nunquam satis dolenda ejus morte cum fuisset sejunctus, toto hoc ab obitu ejus laudabilissimi sui cursus intervallo, si illum obsequiis Aulae Regiae quodammodo alligatum vidisses, fere totum ibi eum esse putasses. Compluribus his certe annis ita Regi Patriaeque in servivit, se ut integrum Principis & Reipublicae rebus consecrasset visus quodammodo fuerit. Quod enim gravius negotium, cui Ille consilio, diligentia, opera, non adfuerit? non profuerit? Nam singula vel attingere, modum omnem orationis excederet. Continui certe labores diurni, frequentes scribentis nocturnae vigiliae, laboriosiores illo vix posse Ministrum videri, omnibus testabantur. Ita toto illo tempore, ingens vis ingenii, ita, mira quaedam excelsae, vastaeque mentis subtilitas, ita magnitudo animi: contemprix invictae, ita solidae gloriae studium, ita prudentiae rarum lumen, ita justitiae, rectique & honesti amor, ita indefessae in lucubrando & laborando vires, in eo & Principi cognitae & omnibus esse admirationi caeperunt.

Sed

Sed eum ita agentem in aula vidistis, ut integrum solius Principis esse arbitraremini, integrum illum iterum totumque Ecclesiae & sacris officiis tribueretis. Spectate Coadjutorem Kioviensem, spectate Praefulem.

Quibus de Ecclesia Antistes meritis sit, adeo clara, evidentiâ, stabiliâque sunt, ut ea commemorasse, audisse, vidisse, satis sit ad laudem illius sempiternam. Gaudet & fruitur, gaudebitque & fruetur semper, ad praeteritorum invidiam temporum, ad decus & exemplum futurorum Kioviensis Ecclesiae, illius liberalitatis, laborum, curarum, & sapientiae fructibus, gratamque beneficiorum sibi praestitorum perpetuo conservabit memoriam. Quae inibi Ille Adjutoris Episcopi officio functus, annorum sex decursu, quae Episcopus annis tribus praestiterit, tempore quidem brevi, sed quod abunde suffecerit, animo Antistitis optimo, atque ad benefaciendum paratissimo, haec omnia, nihil est opus, verbis extollere, cum res ipsa satis superque loquatur. Adjutoris ille tunc munereungebatur, cum jam nullis parceret sumptibus, qui sibi e proprio erogandi tum erant, cum in hac Diaecesi tanto resideret tempore, quanto permultis ab annis nullum ante ipsum ibidem mansisse, memoriae proditum sit. Quantam jam laudem meretur illum omnium primum, pro ea qua est animi magnitudine, ferre non potuisse, Episcopum in sua Diaecesi sedem, & domicilium fixum non habere, id quidem non tulit, suoque & successorum commodo liberaliter consuluit, palatium nempe ad Cathedralē Ecclesiam per amplum

amplum ita quidem crexit, ut illud omnibus quoque rebus ad commoditatem & splendorem intruxerit. Illud vero qualem non solum laudem, sed etiam grati significationem animi, sibi vendicat, quod bona Episcopalia, pro sua in omnibus rebus dexteritate, non solum prudenti administratione, in meliorem florentemque statum redegerit, verum etiam magna ex parte, sollicitudine sua, cura, & auctoritate, vindicando ex usurpantium manibus, magnopere auxerit. Quo vero non suae tantum suorumque successorum utilitati, sed etiam totius Diaecesis bono provide- ret, seminarium (ut vocant) ad educationem clericorum amplum, & splendidum, suo aere excitandum curavit. Quanta porro supellectili complures aedes sacras exornaverit, quantum incubuerit, ut nova in honorem Dei Opt: Max: ad fovendam populi Christiani pietatem, erigerentur templa, ipseque exerit, verbis efferre non attinet, ubi res ipsae & parietes loqui videntur. Tamen ut evidentius discrimen illud, quod priorem inter, & praesentem Diaeceseos hujus statum intercedit, appareat, committere non potui, quin verba Episcopi propria, quae ille ad Regem, pro collato sibi Episcopatu Kioviensi gratias agens cum Senatus haberetur fecit: „ Quare immensas
„ Tibi Rex: (ait ille) ago gratias, tantoque
„ vividiori grati animi sensu ago, quod post
„ squalidam illam vastitatem, nunc primum, sub
„ Tuo suavissimo regimine, suis restitutâ sedibus
„ Ukrainae provinciâ, cum novis illa templis
„ splendescere incipiat, veraeque fidei lumine in-

C

clare-

„ clarescere, cumque majora in dies cultus Dei
„ Opt: Max: sumat incrementa, re, & nomine,
„ Kioviensis Episcopus incedam, secus ac multis
„ iis, qui me praecesserunt, contigit, quibus pro-
„ pter oppressum fere Latinae Ecclesiae nomen
„ regionisque solitudinem, vacui ovilis pastoribus
„ esse necesse fuit. „ Vestram jam appello
fidem Kiovienses, quid hic pro immunitate Eccle-
siastica naviter propugnanda non egerit, imo vero
etiam vestram fidem Graeci ritus sectatores, uti
ille beneficentiam suam nullis definiendam ter-
minis ratus, vos ab oppressoribus defendendos
susceperit, vos inquam testes appello, qui illius
patrocinium vobis implorandum duxistis, quid e-
gerit, quid vestri causa fecerit, quantum ab au-
thoritate ejus vobis praesidii accesserit?

Haec ad decus & jura Ecclesiae. Jam quae
ad curam pascendi gregis pertinent, videamus.
Non eum a visitanda qua late patet Diaecesi, ma-
xima ejusdem amplitudo abducere, non itinerum
difficultas revocare, non silvarum solitudo abstra-
here, non frequentia fluminum trajiciendorum,
periculaque absterrere potuerunt. Omnia haec
forti & magno animo, pertulit, sustinuit, supe-
ravit. Quid enim hunc ista a proposito dimove-
re potuissent, quem vel ipsa vitae discrimina,
quae non visitanti modo Diaecesim suam, sed e-
tiam in illa commoranti, a praedonibus in vastis-
sima Ukrainae provincia grassantibus impende-
bant, de animi sententia nec quidquam deducere
potuerunt. Visitavit enim ubique, rebus
aliis pro summa sua prudentia bene ordinatis,
statutis

statutis pro sapientia aliis, aliis pro auctoritate firmatis, fructu maximo, maximoque Ecclesiae & populi sui bono.

Longior essem, si omnia Pastoris officia persequi vellem, quae noster Episcopus, magna sua gloria, magno gregis sui emolumento, implevit. Itaque non sum praedicaturus, quomodo ille Jubilaci (ut vocant) tempore, opere, & sermone, suis omnibus prodesse studuerit, & profuerit. Nihil dicam de iis, quae charitatis sunt propria, in quae se se totum effuderit. Non recensebo, ut verbo, & doctrina, gregem suum pave-rit, ut verba plena caelestis sapientiae ad populum toties pro concione fecerit. Non commemorabo, ut exemplo omnibus praeluxerit. Ne verbum quidem proferam, ut ad meliorem frugem cohortatus fuerit, & reduxerit. Quae omnia cum a me delibata tantummodo sint, satisque illa celebrare non possim; ut tamen suus illis stet honor, atque a praeclarorum virorum auctoritate & pondus accedat & decus, en inclyti Canonicorum Cracoviensium Collegii nomine, illustre testimonium, pervagatae ubique rerum in Kioviensi Ecclesia ab eo sancte glorioseque gestarum, famae.

(f) „ Episcopus (Legati Capituli ad eum verba)
„ jam Kioviensis, factus gregis exemplar ex ani-
„ mo, quanta sollicitudine, labore, studio tuam
„ perlustrando Diaecesim, Divino cultui religi-
„ onique promovendae, mentibus hominum sapi-
„ entia Christiana & virtute imbuendis, clero ad
„ doctrinam, sanctosque mores formando, tem-
„ plis & sacris locis instaurandis, e fundamentis

C 2

Tuo

(f) Comes Czerny, Canonicus Crac: in oratione ad Cels: Principem.

„ Tuo sumptu, & cura aedificandis, bonis Eccle-
 „ siasticis cum vindicandis, tum in meliorem sta-
 „ tum reducendis, totus omnino incubuisti, i-
 „ psamque quondam antecessorum Tuorum se-
 „ dem, multis inaccessam Kioiviam visitasti: or-
 „ thodoxos in fide firmandō, errantes ad fidem
 „ revocando, Teque verum Pastorem exhibendo.
 „ Itaque nedum tuis dilectis ovibus, verum
 „ etiam & iis, qui a Romanis sacris, ritibusque
 „ discrepant, populis, amoris & venerationi fuisti,
 „ & catholicae rei majestatem in illis oris vene-
 „ rabiliorē reddidisti: „ His ego uti nihil gra-
 „ vius afferri posse censuerim, ita ad laudes Epi-
 „ scopi satis esse crediderim. Plura fortasse etiam
 in re adeo manifesta. Sed ea tamen dicenda de
 Praesule erant, quo ex his saltem ejus vestigiis
 utcunque pateret, quam viam Cracoviensis Ca-
 thedrae culmen ascensurus, quanto nisu, quo
 labore, qua celeritate confecerit; plura etiam stu-
 dio praetermittēda fuerunt, ut aliquando ab
 Episcopi, ad Senatoris laudes perveniremus, quae
 est ejus altera, ad sacram Cracoviensium curulim
 pulcherrima & rectissima semita.

Senatorem enim vero omni laudationis ge-
 nere longe dignissimum efficiunt, si Regi fidus,
 Reipublicae studiosus, utriusque amantissimus
 sit, si in commune bene consulat, beneque Rei-
 publicae voveat. *Sunt quippe Senatores, qui consili-
 o & prudentia, regere Rempublicam possint* (g) Estque
*Senator, bonus auctor publici consilii, rector rei-
 publicae* (h) Quis porro illo Regi fidelior, quis
 Reipublicae studiosior, aut fuit aut esse debuit?

quis

(g) Cici lib: 1. de Orat: (h) Idem ibidem.

quis utriusque amantiſ? quis animo, optime conſulendi Reipublicae, flagrantior? Hinc profectus eſt ardor ille in tuendis, ac vindicandis Reipublicae legibus, ac juribus, cum grave illud ac perdifficile Ordinationis Oſtrogianae opus, tanto partium ſtudio ac contentione agitaretur. Jam vero in recentiſſima memoria eſt, in anni ſuperioris Senatusconſulto, Senatoria illius ſententia, qua praeclare, quid de Rege Regiaeque Familia, quidve de Republica ſentiret, declaravit, qua cum aliis Senatoribus, ſuffragium ampliſſimum de Principatu Curoniae & Semigalliae Regio Principi CAROLO, non minori Reipublicae honore, quam utilitate deferendo, tulit, quae (i) Legis comitiorum pacificationis ſenſum pro dignitate, atque veritate, intellexit, aperuit, declaravit. Quam denique praecipuam in toto hoc graviffimo Reipublicae negotio, dextre componendo, in conciliandis aliorum animis & ſententiis partem ille habuit?

Jd vero cumprimis in eo, tanquam vero Senatore laudandum celebrandumque eſt, quod in praefenti Domus Regiae fato, publicaue calamitate, lateri Regis conſtantiffime adhaerendum ſibi pro officio Senatoris duxerit, quod propriis ſtipendiis, ſuique patrimonii quodam ſacrificio, Regiae ſplendorem, in calamitofa adeo tempore, non fortunae, ſed dignitati Principis velificatus, non parum auxerit: qua quidem re, quantum de optimo Principe, Patriaque meruerit, vel hoſtibus ipsis bene conſtare potuit. Ut proinde benevolen-

(i) Conſtitutio Comit. Regni Varſav: Anni 1736. Vol. 6. fol 664.

nevolentia in eum Regis, ac liberalitas amplissima & maxima, bene collocata esse merito omnibus videantur, utque Rex Augustus, bonus Princeps, justus, aequusque ejus de se, & Patria meritorum arbiter, maximo, id est: digno se, ei gratificari non dubitaret beneficio.

Sed quid ego haec pluribus? quo illum exitium probumque fuisse Senatorem ostendo? brevibus: bonus civis fuit itaque & bonus Senator. Bonum enim Senatorem, bonum in primis Civem esse oportet, praeconiaque istius, illi etiam maxima ex parte convenire. Quid vero istud est, ex eorum, qui de hac re cum copiose, tum sapienter disputarunt, placitis, ita constat: *Gravis & fortis Civis, (inquit praeclarus ipsemet & civis & consul) & in Republica principatu dignus, tradet se totum reipublicae, neque opes, aut potentiam consecrabitur, totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. (k) rursusque: Oportet aequo & pari cum civibus jure vivere, neque submissum & abjectum, neque se esserentem, tum in republica ea velle, quae tranquilla & honesta sunt, talem enim & sentire bonum civem & dicere solemus. (l) Quis jam est, qui cum praeclaram istius, quem celebramus, magni Civis vivendi rationem perspectam habeat, id totum de hoc sacro Kioviensi Senatore verum esse non fateatur? quis eum principatu dignum non sentiat? quis eum totum se reipublicae tradidisse, quis omnibus velle consulere, non videat? quis illum cum civibus aequo & pari jure vivere, quis in Republica ea velle, quae tranquilla & honesta sunt, non perspiciat?*

Addu-

(k) Cic: lib. 1. de Offic: (l) Idem ibid.

Adducendae hic mihi essent innumerabiles ab eo inter cives, sopitae lites, & jurgia, causae perplexae, & inveteratae quaestiones decisae, tranquillitasque, & pax inter litigantes restituta. In his ille rebus pro summa sua prudentia, comitate, justitia, aequitate, definiendis, atque ad utriusque partis commodum componendis, nunquam suam operam, boni communis causa collocare destitit. In quo tanta felicitate fuit: ut nemo sibi eum suae causae judicem non optaret, adeo quidem, ut saepius contingeret, eum nec quidquam cogitantem, exortarum litium arbitrum destinari. Haec privata boni civis officia, tanto magis etiam publice gestis in Republica magistratibus, illustravit, & auxit, cum non solum pro supremo Regni tribunali gravissimus sederet iudex sed etiam vices Praesidentis obiret amplissimas. Quid ego hic alia ejus decora, & dotes enumerem, quibus se civibus reddidit longe utilissimum juxtaque carissimum? Quid dexteritatem, prudentiam in rebus agendis, liberalitatem, magnificentiam, amicitiam, facilitatem, aliaque id genus praedicem? De quibus omnibus ut sileam; gratum tamen illius animum, tacitus praeterire nullo modo possum, & virtutum enim omnium compendium est, & in illo mirum in modum elucet, de qua praeclare Oratorum Princeps: *etenim (inquit) cum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tum nihil est, quod malim, quam me & gratum esse, & videri. Haec est una virtus, non solum maxima, sed etiam mater virtutum ceterarum reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui*
sunt

sunt boni cives, qui bello, qui domi, qui de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt? Qui sacra Dei, qui religionem colentes, nisi qui meritam Diis immortalibus gratiam, justis honoribus, memori mente persolvunt? Quae potest esse jucunditas vitae, sublatis amicitiiis, quae porro amicitia esse potest inter ingratos? Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui, atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse alius atque doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? (m) Multa quidem jam, cum hujus, tum aliarum illius dotum, documenta, in tractu orationis vidimus, at enim vero istius virtutis commendationi locus quidam suus propriusque servandus utique erat, qua una dignis celebrata praeconiis, etsi nihil amplius diceretur, perorari certe posset. Principibus equidem satis nos gratos esse posse, nequaquam nobis datum est. Regum beneficiis gratiam quidem habere possumus, referre non possumus. Benefacta illorum praedicare, atque confiteri non vero reddere nostrarum virium est. Fide, obsequiis, benevolentiam Regum mereri, non exsolvere licet. Haec tamen ratione, qua una non ingratis nobis beneficia collata esse, Principibus testari possumus, noster Episcopus, Optimo Principi se gratum exhibere voluit calamitosissimis nempe his temporibus, throno assidue adhaesit, annisque jam aliquot ab eo nullis domesticis rationibus, nullis honorum priorum impensis, & jactura, sejungi passus, praeterquam quod continuo bene de Rege & Republica merendi, bene consulendi, & in omnibus externis

(m) Cic: pro Ca: Plancio.

internisque Regni negotiis singularem suam dexteritatem probandi, opportunitatem nullam prorsus praeterierit, ea insuper magnificentia, Varaviae societatem in hac Regia civilem fovit ornavitque, ut cum opulentissimis quibusque, obsequio in Principem, certare videretur: liberalitatem ejus in se, cum privatim tum publice maxime celebrando, seque totum illi devotum, qua verbis, qua factis, exhibendo. Haec vero sensa animi sui, in ultimo Senatusconsulto, pro Kioviensi Episcopatu gratias Regi agens, pulcherrime ipsemet declaravit: „ Beneficiis Tuis (inquiens) „ in Rempublicam REX, uti omnes, ita singulos „ devinctissimos Tibi reddidisti, ut vel mihi un- „ ni infinitus titulorum, in perpetuum obligati „ animi, accedat cumulus. Tu me pro immensa „ Tua beneficentia, in hoc dignitatis collocasti „ gradu. Tu quidquid sim quidve fuerim, dedisti, „ adeo, ut totus quantus quantus sim beneficio „ sim Tuo, totumque Tibi unice debeam, perli- „ benterque fateor, me non de ullius omnino, „ sed de Tuis unice largis beneficisque manibus, „ tenere honorem, subsidiaque omnia, & orna- „ menta. „ Sic ille Principi gratiam, beneficium dum fatetur, habet. Aliis vero quibus reddere potest, refert. Atque hic merito honoris causa memorandus rogandusque mihi es, Vir Amplissime Lipski Regni Notarie, veluti pulcherrimi hujus, ab excellenti illius profecti animo facinoris, & compos, & testis, ut Tu ipse edisseras, quibus eum laudibus, celebrandum existimes, qui Te in obtinenda Notarii Regni dignitate, adjuvandum

D

fibi

fibi iudicavit. Quae ipsa res cum praeclara est, atque nobilis, tum principia causaeque rei, longe etiam praeclariora atque nobiliora, plenaque dignitatis. Cum enim ille ab immortalis memoria digno Cardinale Lipsicio omnibus se se affectum officii, non grate recordari non possit, non eaque semper menti infixam habere, nullomodo sibi committendum putavit, quin id nobilissimae Familiae testificaretur, Lipsicianoque gratiam referret nomini, atque beneficio vicem exsolveret, officiumque vivo & mortuo redderet. Tuam appello fidem Regni Notariae, quid de hoc sentiendum dicendumque iudices? quippe nulla ego verba reperiri posse existimo, nullumque orationis genus, quo facti huius gloriam, non modo satis extollere, sed etiam pro dignitate enarrare valeam. Quid in rebus humanis animo ita comparato puerius, quid praestantius, quam ut nulli beneficium debeas, certe: *nihil est remuneratione benevolentiae, nihil vicissitudine studiorum officiorumque jucundius.* (n) Ita vero ille omnibus iis, qui de eo quoquo modo meriti esse videantur, gratiam referre, patrocinari, omnibusque adesse officii studet, ut servitia etiam sua remuneratione vacua non ferat. *Gratus quippe etiam si a servo beneficium accipit, existimat, non a quo sed quid acceperit.* (o) Imo etiam decessoris sui memoriae, id tribuendum iudicavit, ut servitium eius omne, diu carere domino non passus fuerit, sed in aere suo statim esse voluerit. Palam est omnibus, ut ille officia in se omnium memoria teneat, ut viros de se meritos requirat, eosdemque beneficiis suis compleat. Palam est, ut illum ipsum

diem

(n) Cic. de Amicit. (o) Sen. in Epi. ad Lucill.

diem, quo Episcopatum Cracoviensem adiit, praestito praeceptori olim suo, non contemnendo beneficio, illustravit. Munificentia ejus incredibilis, liberalitas summa, & humanitas in omnium oculis sita sunt. In amicitiiis autem sancte colendis, quis illo aut religiosior, aut fidelior sit? certe patet omnibus, ut cum quibus illi vel ab in-eunte aetate, amicitiae necessitudo intercessit, iis nunc quoque sit amicissimus, ut primorum in Republica virorum Ministrorum, Senatorumque, conjunctione clarescat, utque crebris id soleat usurpare sermonibus: „ Se veteres amicitias cole-
„ re inviolabiliter omnino velle, inimicosque
„ si quos habere fortasse posset, omni officiorum
„ genere sibi adjungere, amicissimosque facere. „

Sed quid ego haec persequar, quasi vero aut omnia enumerari, aut recensita pro dignitate tractari, celebrarique posse existimem? Imo vero cum nihil certius sit, quam ea, quae maxime laudabilia sunt, in summis quibusque viris, satis laudari non posse, pauca haec vel sic commemorare volui, quae modo dicantur, satis ad gloriam sunt. Ex iis tamen inferre pronum est omnibus, quibus dotibus praeclarus iste Civis ornetur, quod si excellens Civis, excellens sit & Senator oportet, & majorem in modum Patriam ornet suam. Vidimus enimvero jam & Episcopi, & Senatoris; Ecclesiae, Regi, Reipublicae; devoti, dediti, addicti; sollicitudinem, fidem, merita; verum nempe iter honoris, quod semper tenuit vidimus; quo porro via haec regia, laudis, virtutisque ple-

na, illum deduxerit, jam tandem videamus.

Ecquid autem Princeps Celsissime consecutus es? quo vero isthoc ad summa itinere pervenisti? ad locumne duntaxat amplissimum & illustrem, quod omnes, quibus dignitas aliqua tributa est, consequuntur? an vero aliquid etiam praeterea adeptus, quod nisi summi viri adipisci non possunt? Ita enim vero est, & excellentem gradum conscendisti, ut multi, & in hoc ipso verum honorem consecutus es, ut pauci. Neque enim semper conveniunt, locus honoratus, & verus honor. Neque magis locus virum cohonestare solet, nisi etiam ille ipse a viro ornatur. Multique sunt, qui gradum honoris ascendunt, honorem quidem verum utique non adeunt, Nomen honoris habent, rem autem non tenent. Te vero Princeps Celsissime ita vero ad summa pervenisse itinere omnes fateantur necesse est, ut non locum tantum vel gradum, vocabulumque honoris, sed reipsa verum honorem, capeffere censendus sis. Is enim, *qui vere appellari potest bonus, non invitamentum ad tempus, sed perpetuae virtutis est praemium.* (p) atque *is honos videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita, claris viris defertur, & datur.* (q) Verus itaque hic, quem laboriosa adeo via adeptus es, honor est, ut pote qui iustum amplissimumque meritum Tuorum testimonium & praemium est.

Verus iterum hic tuus honor ex eo est, quod & Regium, & summorum hominum de hoc Tui delectu .

(p) Cic: 10, Ep: ad Fam: (q) Cic: ad Plancum.

delectu, & judicia, & spes, omnino convenient.
Interpres certe Regis, quid de Te nempe senserit REX AUGUSTUS, testisque nullus religiosior fideliorque Tibi accidere potuit, quam Optimi Parentis, Filius Optimus, Regius Princeps, Curoniae & Semigalliae Dux, qui non minus Patris, quam suam mentem, his praeclaris honorificentissimisque de Te verbis declaravit: „Regem videlicet Patrem suum, dum Tibi Episcopo, „patum Cracoviensem contulit, non magis Tuo „quam publico omnium bono consuluisse, ut „potes qui non Tibi vivas, sed omnibus. „Quod Regii Principis iudicium, incredibilis consensus omnium, & tacita quaedam in Te celebrando colendoque conspiratio comprobavit. Quis enim est, qui sua Tibi non exhibeat officia, quis, qui Tibi de honore isthoc non gratuletur? quis est praesens, qui verbis, quis absens; qui per literas, animum Tibi non testetur suum? Quot S. R. E. Cardinalium, quot Regni nostri Procuerum, veluti lucentissima hujus rei testimonia honorificentissimas prae manibus tenes epistolas? Quotus quisque est, qui non dicat, amplioem optimaevoluntati Tuae, de Republica benemerendi campum oblatum esse? Quis non praedicet aequum theatrum Te praeclaris dotibus Tuis exercendis nactum esse? Quis denique est, qui cum publice, tum privatim, votis te amplissimis sibi prosequendum non censeat? Qua de re profecto & omnes Tibi gratulari, magis etiam quam dici possit, & Te ipsum exultare laetitia, & triumphare gaudio est necesse. *Is enim verus triumphus*

phus est, cum bene de republica moritis testimonium a consensu civitatis datur. (r) Haec profecto omnia talia sunt, ut non solum optimo jure, honorem hunc ad Te delatum testentur, verum etiam eundem meritorum Tuorum quandam veluti mercedem declarent. Si enim vero, qui honorem sententiis, qui suffragiis adeptus est, is honestus & honoratus videtur (s) certe ex sententiis de Te, suffragiisque cunctorum, palam se se manifestantibus, satis superque constare debet omnibus, aequissimae remunerationis loco, virtuti meritisque Tuis honorem hunc & verum, & eundem amplissimum accessisse. Es itaque vere fortunatus, Princeps Celissime, de cujus bono, non minor fere ad omnes, quam ad Te ipsum laetitia pervenerit.

Inter omnes tamen, totam Cracoviensem Diaecesim, quanta quanta est, illiusque in primis inclytum Canonorum Cathedralium collegium: viris nobilitate natalium, doctrina, meritis, toto Regno longe celeberrimum, verumque illud (ut audit) Episcoporum Seminarium, omnibus incedere laetitiis, necesse est, quod non aliunde quaesitum, sed e medio sui assumptum Pontificem ad occupandam Cathedrae illius amplitudinem, videant. Gaudere etiam plurimum & exultare par est, Sacerdotium omne, clerum, religiososque istius Diaecesis ordines, totumque populum: quod Caput, Patronum, Pastorem optimum, nacti sint. Maximasque post DEUM, AUGUSTO Regi, Clementi, Pacifico, habere gratias: quod

(r) Cicero: Philipp: 14. (s) Cicero: de Clau: Orat:

quod illis potissimum prae aliis, summa DEI providentia, atque optimi Principis gratia, bono isthoc potiri datum sit.

Nostra quidem ipsorum, propriaque solatia, conceptis verbis, in primis testari, nostrarum est partium: Est equidem cur vere de isthoc Tuo ad Cracoviensis Diaeceseos regimen ascensu magis magisque gaudeamus, ut pote qui cum hic in ipsa urbe, atque Episcopatus Tui sede, tum in reliqua Diaecesi collegia, domiciliaque, sub sacris tuis habemus fascibus, quorum sane intererit, cum sibi ipsis, tum toti Provinciae, atque etiam Ordini, patrocinium Tuum maximum, & validum, promereri. Quos si nos dignos pro spectata Tua in nos benevolentia, atque nostro in Te studio, judicaris, erit certe quod majorem in modum nobis gratulemur, atque laetemur. Animum sane hunc tuum in nos propensum & benevolum, cum maxima totius Provinciae exultatione, parique grati animi sensu, diu est cum perspectum habemus, cujus quidem jugi testificatione, nimium quantum nos recreari necesse est. Dum praesertim cum ea, qua par est, gratiarum actione nobiscum meminimus semperque recordabimur, quanto bono jam nobis auxilium Tuum fuerit, cum Cracoviensis tum Canonicus, ad Opoliensis nostrae colonice conficiendum negotium, magna nostra fortuna, destinatus esses, Ubi res nostras tam apud optimum illum sapientissimuque Cardinalem Lipscium Loci Ordinarium, quam in venerabilis Capituli Cracoviensis concilio, summa dexteritate promovere, dumque ad eam
in

in maxima cum purpurato illo Christianae Reipublicae Principe, Senatorum, Ministrorum, Procerum, Nobilitatisque frequentia, omni sacra auctoritate, introduceremur Ecclesiam, Tu ipse celebritatem illius actus, splendorem, ordinem, Tu jurium nostrorum perpetuam stabilitatem, pro praecipua propensione in nos Tua, sollicitè procurare non dubitasti. Quod sane nisi sub tantis auspiciis, feliciter concludi non poterat. Quidni nunc Te eundem divinitus nobis datum Praefulem, non laetemur? quid non omnia nobis fausta, si nos praesidio Tuo fovere dignaberis, polliceamur?

Jam itaque si optime Tecum actum est Princeps Celsissime, dum ad Regis latus Senator proximus accessisti, dum Cracoviensium Ecclesiae Pastor divinitus datus es; certe & cum universa Christiana, & nostra Republica, & cum Cracoviensi Diaecesi, imo etiam (si privata publicis conjungere fas est) cum Scholis Piis, Te Senatore amplissimo, Te Episcopo, Te Principe renuntiato, actum est optime. Dignissima sane est Cracoviensis Ecclesia tanto Antistite, dignus tantus Antistes prima in Regno Episcopali sede. Viro amplissimo, menti huic excelsae, maximo huic animo, amplissimus, excelsus, & maximus locus debebatur. Jam gloriosum, diligens, indefessum, laboriosumque, quo laudabiliter hucusque perrexisti, iter, iste, iste inquam exspectabat terminus. At enim vero si unquam Platonis illa sententia valuerit, qui nobiliores animas aiebat alis quibusdam instructas esse, quibus attollerent se humo,

humo, & in sublime ferrentur, certe id in Te valere oportet; cujus mentem, quibus tandem alis & quam valentibus, vegetisque nixam putabimus, quem jacentem, aut repentem, nemo viderit unquam, nemo humilia conſectantem, ſed ſemper ſummo quodam, perpetuoque niſu ad ſumma tendentem?

At ſi vel longius excurrere, & Tecum in tam aperto patentique campo, exultare effuſius geſtaret oratio mea, tutius tamen jam Thimantis exemplo, permulta quae dicendo conſequi non valeo, tacitus praeterire cogor, adeo quidem, ut orationis hujus curſus, non pro rerum dicendarum magnitudine; nec vero etiam pro voluntate noſtra, ſed certe pro praestituto ordine, atque praescriptis limitibus, non tam confici, quam abrumpi videatur. Quippe ut plurima ſilerentur, & ea quae dicta ſunt, magis delibata viderentur, ingens laudum Tuarum copia fecit. Itaque de praecelara Tua eaque veriſſima ad ſumma perveniendi via, verba faciens orator, tanquam ipſemet iter faceret, nec contemplari omnia, nec meminiffe, nec recensere potuit, ſed viatoris inſtar, aliqua tantum in praecelara viae hujus initio, medioque laude pleno, atque in fine glorioso obſervavit. Quamquam quid ſinem dicamus? cujus uti meritorum, ita honorum, & gloriae, ſempiternus curſus futurus eſt? Quasi vero iidem eſſent hujus itineris, qui & meae orationis termini & anguſtiae. In
oratione

oratione siquidem omnino tandem perorandum est, at hic gloriose vivere, desinere neququam potest. Ibis, ibis sane, Princeps Celsissime, fortunato passu, quo caepisti. Et cujus gloriam, celebribus factis, & praeclara vivendi ratione, jam effecutus es, (immortali memoria dignum, Cardinalem Lipscium Cracoviensem Antistitem intelligi volo) illiusque honores jam ex parte adeptus es, ejus ut & murice illo Romano exornaris, optandum, sperandum, expectandumque est. Vitam modo quam longissimam, (quod unum vovendum superesse videtur) Superi Tibi largiantur. Utinam vero etiam Princeps Celsissime immortalem Te & optare, & habere liceret, uti fama meritorum Tuorum, & honorum perennis futura est. Cujus aeternitati nos etiam studendo, si non praeconia, certe maxima nostra in Te studia, hac officiorum nostrorum testificatione, immortalitati commendata volumus.



